parturiente. Quod si dixeris in corde tuo: qua-
re venerunt mihi hec? propter multitudinem iniqui-
tatis tue revelata sunt verecundiora tua, pollut-
e plante tue. Si mutare potest ethyops pe-
llem suam: aut pardus varietates suas: et vos po-
teritis benefacere cum didiceritis malum. Et disseminabo
eos: quasi stipulam que vento raptatur in deserto.
Sors tua parsque mensure tue a me, dicit dominus: q-
uia oblita es mei: et confisa es in mendacio. Unde et e-
go nudavi femora tua contra faciem tuam; et ap-
paruit ignominia tua: et adulteria tua, et hinnitus
tuus, scelus fornicationis tue. Super colles in ag-
ro vidi abhominationes tuas. Ve tibi ierusalem: non m-
undaberis post me usque adhuc? XIII

Quod factum est verbum domini ad iere-
miam: de sermonibus siccitatis. Luxit iuda
et porte eius corruerunt et obscurate sunt
in terra: et clamor ierusalem ascendit. Maiores mise-
runt minores suos ad aquam; venerunt ad hauri-
endum et non invenerunt aquam: reportaverunt vasa sua
vacua. Confusi sunt et afflicti; et operuerunt ca-
pita sua propter terre vastitatem: quia non venit pluvia in
terram. Confusi sunt agricole: operuerunt capit-
a. Nam et cerva in agro peperit: et reliquit: quia non e-
rat herba. Et onagri steterunt in rupibus; traxerunt
ventum quasi dracones: defecerunt oculi eorum quia non
erat herba. Si iniquitates nostre responderint nobis:
domine fac propter nomen tuum: quoniam multe aversiones nostre. Tibi
peccavimus. Expectatio israel: salvator eius in tempore tribu-
lationis: quare quasi colonus futurus es in terra; et quasi viator de-
clinans ad manendum? Quare futurus es velut
vir vagus: ut fortis qui non potest salvare? Tu autem
in nobis es domine, et nomen tuum invocatum est super nos: ne dere-
linquas nos. Hec dicit dominus populo huic qui dilexit move-
re pedes suos et non quievit: et domino non placuit. Nunc
recordabitur iniquitatum eorum: et visitabit pecca-
ta eorum. Et dixit dominus ad me: Noli orare pro populo is-
to in bonum. Cum ieiunaverint: non exaudiam pre-
ces eorum. Et si obtulerint holocaustomata et
victimas: non suscipiam ea: quoniam gladio et fame
et peste ego consumam eos. Et dixi: a a a domine deus

License: public_domain – Leuven, KU Leuven Bibliotheken Bijzondere Collecties, Ms. 1065, fol. [1]v – Bible
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-6s6j/7182/58208)